



N. 68, 45.

50

1493.

ORATIO PANEGYRICA

Dicta

Cum

Illustrissimus ac Celsissimus Princeps ac

Dominus

DN. BERNHARDUS
SENIOR,

Dux Saxoniae, Juliaci, Cliviae ac Montium, Comes
Provincialis Thuringiae, Comes Limitaneus Misniae, Comes
Marcae & Ravensbergae, Dynasta in Ravenstein,

Ut
RECTOR MAGNIFICENTISSIMUS,

Sceptra ac fasces

INCLYTÆ ACADEMIÆ SALANÆ;

Quæ

Illustris ac Generosissimus Comes,

DN. OTTO GUILIELMUS KO-
NIGSMARCK,

Comes in VVestervvyck & Stegholm, Dynasta in Rotenburg
& Neuhaus;

RECTOR hætenus Inclytæ Universitatis itidem

MAGNIFICENTISSIMUS,

IPSIUS CELSITUDINI

tradebat,

In solenni panegyri reassumeret:

Ac habita memoriter

Die XXVI. Septembris

IN ÆDE COLLEGII



CHRISTIANO CHEMNITIO, SS. Theol. D. & P. P.

ut & Pastore ac Superintendente, h. t. Academiæ

PRORECTOR E.

Typis ac Sumptibus CASPARI FREYSCHMIDII.

ANNO M. DC. LV.

26 Jun 55

165
4

1494.

STUDIOSÆ JUVENTUTIS
IN ALMA UNIVERSITATE SALANA
Salutem.

Quod rectè scripsit Xenophon, Lib. de Vectigalibus, p. 87. ἐγὼ τὰς μὲν αἰεὶ
ποτε νομίζω, ὁποῖοί τινες οἱ προσηταῖαι ὄσι, τοιαύτας καὶ τὰς πολιτείας
γίγνεσθαι. *H. e.* Ego semper illud verum esse putavi, quales essent gubernatores,
tales respublicas existere solere! *Idipsum*, Nobilissima, Eximia ac Humanissima
STUDIOSA JUVENTUS, agnosces observandum esse in Illustrissimo REGIMI-
NE ACADEMICO, sub quo Respublica literaria nostra jam floret. Vivimus enim
sub tali RECTORE MAGNIFICENTISSIMO, qui & Illustrissima Domus
splendore, Prudentiâ Principali, Pietate in Cives, amore erga literas, & summo
omnigenæ virtutis culmine & decore exemplar esse possit GUBERNATORIS, &
PRINCIPIS BONI. Ut merito NOBIS & TIBI gratulandum sit de tali MAGNI-
FICENTISSIMO CAPITE, quod post Illustrissimum ac Celsissimum PRINCI-
PEM, DN. FRIDERICUM, Ducem Saxonie, Juhaci, Clivia, ac Montium, &c.
Fratrem germanum; Dn. nostrum nostrum clementissimum: Et post Illustrum &
Generosissimum COMITEM; DN. OTTONEM GUILIELMUM KÖ-
NIGSMARCK Comitem in Westerwyck, & Stegholm, &c. Dn. nostrum gratiosis-
simum: Academia nunc iterum, cum DEO, præest. Ut igitur hujus PRINCIPIS;
HEROICI NOSTRI BERNHARDI; RECTORIS MAGNIFICENTIS-
SIMI; ut & Illustrissimi ac Celsissimi FRATRIS, DN. FRIDERICI; ac Illustris
& Generosissimi Comitis, DN. OTTONIS GUILIELMI: memoria apud Vos
eò sanctius conservaretur. Ideò ORATIONEM hanc, quâ ut Illustrissima EIUSDEM CEL-
SITUDINIS, Legatus atq; PRORECTOR habui, publici juris facere, Vobisq; ut sacram, di-
care volui, tanquâ temporis huius monumentum. Singulare enim fuit, quod ipse dies Ju-
BILÆUS, celebrandus ob datam solenniter Pacem Religioni ante hos centum annos, Di-
es videlicet XXV. Septembris, dictus fuerit huic Panegyri, postridie ob hanc causam de-
inceps infecuta. Singulare quoq; quod sub Regimine hoc Academico Illustrissimi
Ducis BERNHARDI; Illustrissimus ac Celsissimus PRINCEPS, DN. BERNHARDUS
SENIOR, fortissimus Heros, Illustrissimi Nostri PATRUS, Vinaria conditus est. Et qua
sunt alia ad seram posteritatem transmittenda memorabilia. DEUS igitur Illustris-
simum ac Celsissimum PRINCEPEM, Dominum Nostro-Vestrum Clementissimum, co-
lumnâ constituat Religionis & Fidei; & clementissimè pondus addat bonis omnibus!
Quemadmodum autem prudentissimè, apud eundem Xenophontem. l. 8. de Pædiâ Cyri,
p. 161. moriturus Cyrus, filio Cambysi dixit: Οὐ τὸ χρυσεὸν σκήπτρον τὸ τὴν βασι-
λειαν διασωζόν ἔστιν, ἀλλ' οἱ πολλοὶ φίλοι σκήπτρον βασιλεύσιν ἀληθές ἐστιν καὶ
αἰσφαλέστερον. *H. e.* Non est aureum hoc sceptrum, quod regnum servet, sed amici
multi sceptrum sunt Regibus verissimum, maximèq; securum: Ita porro, Nobilissimi,
Eximii ac humanissimi STUDIOSI ac CIVES, Illustrissimo PRINCIPI, Domino Ve-
stro Clementissimo, ac SENATUI favete; industriâq; uti censebat Iococrates, teste Ma-
ximo, sermone congeſto 32. (addimus Nos; pietate, obedientiâ, honestate): optimum se-
nectuti condite obsonium. DEUS autem PACIS, conservet Vos, CORONAM NOSTRAM; in
pace, ac Corporis & Anima tranquillitate! Dabam prid. Idus Decembris, Anno partus
Virginis, M. DC. LV.

Vester
Christianus Chemnitius, D. P. P. Pastor & Superintendens, h. V.
PRORECTOR

1495.



IN NOMINE SS. TRINITATIS.

ORATIO PANEGYRICA.

DE CONSTANTINO MAGNO, summo isto & pientissimo Imperatore, de quo etiamnum letatur & gloriatur Orbis Christianus; scribit in vita eius *lib. 1. cap. 16. & 17. Eusebius*: quod singulari DEI providentiâ & voluntate, paternâ purpurâ indutus, & ad Imperium vocatus fuerit. Sic enim inquit: CONSTANTINUM, talis parentis (CONSTANTII nimirum) satum editum Principem & Imperatorem, DEUS omnium & totius mundi gubernator suo solum arbitrio delegit: eo consilio, ut cum alii omnes Imperatores hominum suffragiis ad eum dignitatis gradum ascendere consueverint; de hoc Imperatore solo ad honorem efferendo, nemo mortalis omninò gloriaretur. Cum enim ad summam propè senectutem proventus, parens eius Constantius, Eboraci in Britannia, vitam jam jam depositurus, & ad meliorem sedis æternæ partem commigraturus esset: singulari providentiâ curavit DEUS, ut ei mortem appetituro, filius eius natus maximus CONSTANTINUS ad capeffendum Imperium præstò esset. Extemplò enim, ubi insidiarum machinas, sibi structas & deprehensas effugerat, celeri gradu accessit ad Patrem: & protinus post longum temporis intervallum, quò abfuerat, in eius conspectum venit, cum eodem momento patris Constantii vitæ exitus immineret. Postquam autem filium ex insperatò adesse vidit:

1496.

dit: ex filiense cubili, illum amplexatus est; atque illud, quod sibi jam vitam edituro solum tristitiam attulerat, filii nimirum absentia, se ex animo jam eiecisse asseruit, precesque propterea cum gratiarum actione Deo obnixè fudit. Atque in medio filiorum pariter, ac filiarum; ipsum, instar chori, undique ingentium, se statuens, & in ipsâ Regiâ, inque regio cubili decumbens, regni hereditate filio, qui reliquos ætate anteibat, communi lege Naturæ traditâ, decessit de vitâ; Uti hæc recenset pariter *Eusebius, Histor. lib. 8. c. 26. & 29.* Ac addit ad hæc præterea *Zonaras lib. 2. Annal. in Diocletiano:* Rumorem fuisse, Constantio ægotanti, & ob cæterorum filiorum ineptam indolem mæsto, Angelum astitisse, qui juberet, ut Constantino relinqueret Imperium. Ac sanè divinitus quasi supremam potestatem fuisse CONSTANTINO MAGNO traditam, etiam Ethnicus Auctor agnovit, *Gallicanus* (quisquis etiam ille fuerit, clarissimus certè orator illorum temporum) qui in Panegyrico IV. Constantini; Ethnorum religione Patrem Constantium, dicit receptum fuisse confessu cœli, Jove ipso dexteram porrigente: & statim interrogatum, cui Imperium decerneret, & quem dignum successorem existimaret, respondisse, CONSTANTINUM PIUM! Ac subdit: Manifestè enim sententiâ Patris electus est Imperator, ac universus exercitus in te consedit, ac te omnium mentes oculiq; signarunt!

Idem contingit hodie, *Auditores omnium Ordinum honoratissimi, lectissimi.* Interrogatus enim & de præsentia Illustrissimorum & Celsissimorum filiorum in Universitate hac nostrâ etiamnum decenter & cum virtutis vero splendore versantium Principum, consultus, Illustrissimus ac Celsissimus Princeps, Dn. *GUILIELMUS: Dux Saxonie, Juliaci, Clivia ac Montium, &c. Dominus noster clementissimus:* Cui nam iterum Imperium & summum Academiae Regimen decerne-

1497.
cerneret? respondit: *BERNHARDO PIO!* Interrogatus etiam
Illustrissimus ac Generosissimus Comes, Dn. *OTTO GUILLI-*
ELMUS à Königsmarck, Comes in Westermÿck & Stegholm, Dy-
nasta in Rotenburg & Neubaus, &c. Rector hæctenus inclÿta no-
stræ Salanæ Magnificentissimus, Dominus noster gratiosus;
Quemnam in hoc supremo fascium Academiæ nostræ Magi-
stratu, cui sub Illustrissimæ Domûs Saxonicæ utriusque li-
neæ, umbrâ; hæctenus eius gratiosissima Generositas
cum DEO laudabiliter præfuisse, successorem expete-
ret? respondit, *BERNHARDUM PIUM!* Interrogatus Senatus
Academicus; quem in subsequens semestre *CAPUT & MA-*
GNICENTISSIMUM RECTOREM eligere vellet? nullo eun-
tante respondit: *BERNHARDUM PIUM!* Interrogata *Studiose*
Juventus, quem Ducem vellent, Principem Regiminis, & ex-
emplar vitæ? *BERNHARDUM* responderunt *PIUM!* Et tota,
quæ nunc hic congregata est Academia, & ad Virtutem assur-
gens splendidissima Studioforum *CORONA* ac Civitas, post-
quam audivit, Generosissimum Comitem, Dn. *OTTONEM*
GUILLIELMUM à Königsmarck, &c. Dominum nostrum
Gratiosissimum, Vestrâ plurimum Reverendâ Excellentiam,
plurimum Reverende, Amplissime & Excellentissime Dn. D.
JOHANNES ERNESTE GERHARDE, SS. Theol. D. & nunc
P. P. celeberrime, Amice, Compater & Collega honoratissi-
me, tanquam *PRORECTORE* suo Magnifico, Interprete; ho-
die abdicare se benè gesto Magistratu, tacitis quasi susurris &
concordantibus votis repetiit, quod publicè pronunciare,
verecundia, loco & Confessui habenda non fuit: *RECTOR*
MAGNICENTISSIMUS sit *BERNHARDUS PIUS!* *BERN-*
HARDUS, Princeps Noster; utpote in quo, cum de eodem
Constantino scripsit *Eusebius*, Lib. 1. de vitâ ejus: eximia
regiæ cujusdam indolis indicia elucere cæperunt; & qui mo-
destiâ primùm suum declaravit animum, deinde politiore li-
tera

1498.

teraturâ , tum prudentiâ à naturâ propè insitâ , ad extremum quem sapientia divinitus animo consignata , tanquam alimentis quibusdam eximiè educavit.

Quod igitur felix & faustum sit, In Nomine S.S. *TRINITATIS*, Dei Patris Filii & Spiritus S.: Illustris: *EJUS CELSITUDO*, supremum in hac Illustri Salanâ Magistratum, quem Illustris ac Generosissimus Comes, Dn. *OTTO GUILIELMUS* à Königsmarck, etc. *RECTOR* Magnificentissimus hodiè deponit; per Illustrissimæ suæ Celsitudinis me Legatum & *PRORECTOREM* reassumit & suscipit; ad Vota nostra Clementissimus Princeps & Rector noster Magnificentissimus deinceps iterum cum DEO futurus. DEUS autem hoc Regimen fortunet & secundet; Ut sub Illustrissimo ac Celsissimo Principe floreat nostra Respublica, & Academia nitidum suum altissimè exferat caput atq; fulgoris sui radios longissimè spargat. Fiat hoc, ô DEUS noster, DEUS laudande & extollende in omnia secula!

Ac cùm in *PRORECTOREM* augustus Senatus Academicus, meam tenuitatem elegerit: eundem *PRORECTOREM* pariter in Nomine Sacro - Sanctæ *TRINITATIS*, DEI Patris, Filii & Spiritus Sancti suscipio: non ignarus quidem oneris: gratiâ tamen divinâ, & vestrâ benevolentîâ, piisque precibus confusus. DEUS enim ipse per Magistratum regnat. Hunc pro felici successu imperantes & parentes invocemus! In hoc requiescamus!

Cùm verò pro more in Illustri hoc actu & institutâ pa-
negyri de aliquâ re perorandâ sit: & hic ipse Millesimus, Sexcentessimus, Quinquagesimus quintus, notabilis ille annus sit, quo ante hos centum annos solenniter pax data fuerit Augustanæ Confessioni, & veræ Religioni: Uti & eo nomine secularem heri celebravimus festivitatem, & DEO devotas exsolvimus gratias; in Augustanis Comitibus, teste Sleidano

199
dano lib. ult. paucissimis dicemus, ut nostrum exsolvamur
debitum: De *NECESSARIIS* quibusdam *REBUS & MEDIIS*,
quæ observata plurimum facient ad veræ doctrinæ propaga-
tionem. De his, ut breviter dicentem benevolè audire ve-
litis, *AUDITORES* honoratissimi, amicè rogo, insto, con-
tendo!

Non autem istud jam ago, *AUDITORES* Splendidissimi,
Nobilissimi, ut omne id afferam in medium, quod ad veræ
Religionis conservationem pertineat. Quantum enim hic
tribuendū sit: Obedientiæ verbo *DEI* præstandæ; Piæ erga ve-
ritatem divinam reverentiæ; ardenti pro eiusdem conserva-
tione, orationi; emendationi vitæ, ex aliis communi omni-
um suffragio huc pertinentibus mediis satis antè est situm
ante oculos. Sed de quibusdā *MEDIIS* aliis nunc dicam, illis
quidè aliquantò inferioribus; utilissimis tamen & ad *RELIGIO-
NIS* propagationem maximè necessariis. Quæ utinam dili-
gentius observarentur! Collocamus autem hic primo lo-
co: *EDUCATIONEM PERSONARUM ILLUSTRIORUM* sive *PRIN-
CIPUM*. Cùm enim juxta Pacificationem Osnabrugensem,
JUS RELIGIONIS, nisi obstant pacta & singularia privilegia,
dependeat hodiè à Jure Territorii: quis non videt; quantum
in eo situm sit, ut Principes & Domini Territorii à teneris,
quod ajunt, vitæ ungviculis, in purâ Religione educentur &
ad constantem amplexum veritatis divinæ sic assuefiant;
ut nullis promissis, nullis blanditiis, nullo splendore, nullâ
auctoritate, nullis minis, nullis adversis, nullo denique
Rhadamanto, dimoveri se sinant à saxo illo immotæ verita-
tis, cui domum fidei suæ inædificarunt. Quantum enim de-
beam constantiæ *DOMUS SAXONICÆ*, vel nostri parietes ex-
ponunt & loquuntur; ubique imaginibus *JOHANNIS CON-
STANTIS*, *JOHANNIS FRIDERICI MAGNANIMI*, & alio-
rum *PRINCIPUM* ac Heroum, tanquam columnarum & tibi-
cinum

1500.

cinum sinceræ *RELIGIONIS*, & assertæ veritatis, coruscantes. Norunt itaque hoc Satanae Operarii, Pseudodoctores. Hinc instar serpentis personati Paradisiaci ad Personas Illustres student accedere; ac miram quandam pietatis præ se ferre speciem; antiquitatem, multitudinem, successionem, externum splendorem suæ Ecclesiæ, prætendentes: ac manibus pedibusque nituntur, num animis illorum sensim illabi, & ad suam Religionem eos pertrahere queant. Intelligunt enim, capto à retiario pisce aliquo majori, non diu à retibus ipsius tutos fore pisciculos minores; Atque seducto Principe, exiguam deinceps apud subditos futuram esse Religionis securitatem. Documentum in hanc rem capere potuimus ex seductione aliquot personarum Illustrium, quæ intra dimidium hoc seculum vafricie & imposturæ Pseudoapostolorum dementati, & quasi infernali quodam stupore acti; turpiter à veritate cœlesti defecerunt: nec unquam serpentem illum antiquum credamus dormire aut quiescere; aut ad pares insiduas struendas paratum non esse? Quotidie circumit lupus ovile *CHRISTI*, animas quærens, & in subversionem Religionis incumbens. Summopere ergò necessarium est, rectè educari Personas Illustres, & contra insidias hæc ita præmuniri, ut veluti immotæ rupes iis possint obistere. Salvis enim Principibus, salva quoad hoc in religione, erit et regio; Labascentibus autem Principibus; quæso, quanta perniciēs, futura subsequutura esset, quantum periculum. Apparet ergò, quid momenti habeat: Educatio *PERSONARUM* Illustrium, & quantum in eâ sit situm. Hæc ipsa enim in captivitate, adamantinum fecit *JOHANNEM FRIDERICUM ELECTOREM*; ut quia in *JUVENTUTE*, in primis *TORGÆ*, capita Pietatis sincerè imbibisset: ne quidem ad momentum postea potuerit ab agnitâ veritate flecti aut moveri; Eandem constantiam etiam filiis inculcans. Ut enim

enim

1561.

enim ipsemet excelsi animi Princeps *JOHANNES WILHELMUS* in Oratione refert, quam Anno M. D. LXIX. hinc *JENÆ* ante publicationem auctorum & renovatorum Statutorum habuit: Paucis ante beatum *OBITUM* horis ad se vocatis filiis edixit: Ut in sincerâ Religione constanter perseverarent. Hoc enim facturis bene fore; Non facturis autem certissima imminere mala. Hinc etiam ejus *FILII*, teste *ANTONIO PROBO*, SS. Theol. D. & Superintendente Generali, in præfatione alterius Partis Catechismi Rosini, *FRIDER. WILHELMUS*, & *JOHANNES* in templo Viariensi publicè, ut civium filii solebant, Catechismi aliquod caput recitarunt. Quæ Pietas *FRIDERICI WILHELMI*, Administratoris, quam postea profuerit Electoratus, à CryptoCalvinianis repurgando, ipse gratissimus agnoscit etiamnum, & *EDUCATIONI* tantorum Principum gratias agit. Ut recentioribus exemplis superfedeamus. Memorabile præ aliis in antiquitate est exemplum Imperatoris Theodosii: De quo *Socrates Lib. 5. c. 10. Sozomenus lib. 7. cap. 12. & Marcellinus in Chronico*, referunt, quòd Arcadium filium, cum annum ætatis octavum ageret, pronunciaverit Augustum. At pius Princeps, parum sibi visus est, contulisse filio, si Romanum illi tradens imperium, non æquè in eum transfunderet pietatem: Itaque ad Gratianum Imperatorem, Epistolam jam scripserat, quâ eum rogavit, ut egregium pietate virum, qui filium doceret, quæreretur, inventumque, Constantinopolim mitteret. Scripsit eâ de re Gratianus ad Damasum Romanum Pontificem, qui misit ad eum *ARSENIVM* Ecclesiæ Romanæ Diaconum, egregiâ probitate spectatum, & literis insigniter eruditum. Cui, cum Constantinopolim pervenisset, Theodosius filios suos tradidit moribus ac literis imbuendos, atque dixit: *Posthac tu magis pater eorum, quàm ego!* Circa quam illustrem educationem accidit & illud memoriâ dignum: Cum enim ingressus scho-

B las,

1502.

las, vidisset Theodosius Arsenium stantem, Arcadiumque auditorem sedentem, indignatus est, quòd Magisterii gradum parum decorè servasset, cum stans ipse doceret, Arcadius verò sedens addisceret. Arsenius autem, cum se excusaret, atque diceret, haud decere sedentem se, docere Imperatorem: indignatione ille commotus, abstulit ei Imperatoris insigne, sedereque in throno Arsenium compulit, filium verò detecto capite auditorem profiteri; illud inculcans, *tunc prolem suam verè fore dignam Imperio, si cum scientià æquè imbuta fuerit pietate.* Uti refert *Baronius Tom. 4. p. 488.* O verè Regia vox, & digna, quam apicibus perennandam auratis, tabula aliqua rostralis aut Capitolina accipiat! *tum demum, nimirum prolem suam verè fore dignam Imperio, si cum scientià æquè imbuta esset pietate.* Sic etiam tum demum felix erit Religionis nostræ status, si apud Principes terræ porrò inventus fuerit animus Theodosii: ita ut parum ipsis videatur collatum fuisse filiis, si regionis ipsis tradentes Dominium, non æquè in eos transfundant pietatem, & tunc prolem suam existiment verè fore dignam Imperio, si cum scientià æquè imbuta fuerit pietate. Atque hoc primum est *MEDIUM*, quod plurimum momenti censemus afferre posse propagationi sinceræ *RELIGIONIS* ad posteros, quod in Illustrissimâ Domo Saxonicâ, aliisque Illustribus familiis; *DONUM* perpetuum esse jubeat *Benedicta & Ssa TRINITAS!*

SECUNDUM, quod ad *RELIGIONIS* sinceræ propagationem ad Posteros adjumento insigni esse posse, censemus: est *CONCORDIA DOCTORUM*. Sicuti enim; quo tempore Stephanus Rex Poloniae Plescoviam obsidebat; id quod factum Anno M. D. LXXX. teste Thuano, lib. 73. in castra venit ab Amurate III. Turcorum Sultano Legatus, gravis ætate homo; qui antequam dimitteretur à Stephano, per exercitum Polonicum, egregiè in aciem instructis ubique copiis tradus

1503.
Aus est. Quæ omnia intentis & avidis oculis conspicatus bar-
barus, & equitum ornatum, equorumque præstantiam, &
universi exercitûs speciem admiratus, *Faceret DEUS*, inquit,
ut isti Principes, Regem Stephanum, ac Imperatorem suum
designans, conjuncti inter se animis essent, ne Orbis quidem terra-
rum viribus eorum par ad resistendum foret! Sic etiam quando
consideramus Doctores, qui omnes Augustanam Confessi-
onem & Libros Symbolicos amplecti sese profitentur: &
paulò attendimus diligentius, quàm facile per novitates &
sparsa discordiæ semina inter eum qui rectè sentiat, & alte-
rum, qui grave sibi putet, à quopiam fideliter admoneri &
fraternè corripiri, exotiri possit per Satanæ insidias discrepan-
tia & dissensio; multò magis opus habemus dicere: *Faceret*
DEUS, ut isti conjuncti inter se animis essent, nec aliqui à tra-
mite quandoque recto absque ullâ urgente causâ, & solo in-
considerato novandi studio desisterent: ne Orbis quidem
terrarum, & totus Papatus viribus eorum par ad resistendum
foret. Quantum enim vel ab uno proditore, integro exerci-
tui metuendû sit periculi, & quanto impedimento esse pos-
sit vel unus miles, in socios gladium stringens, sive errore id fi-
at, sive malitiâ; Sole meridiano & claro manè, clarius est atq;
evidentius. Unde & graviter Lib. de duabus Naturis in *CHRIS-*
TO, cap. I. de suis temporibus, similibusque nonnullis dissi-
diis pronunciavit incomparabilis Theologus *B. Chemnitius*:
Nequiter faciunt, qui ubi de rebus ipsis constat & convenit, pro-
pter talia Scholastica seu artium vocabula, quæ alius aliter usurpat
& accipit, Ecclesias turbant. Qui verò sub prætextu talium voca-
bulorum ipsius doctrinæ depravationem invehere & Ecclesie ob-
trudere conantur, illorum insidia & detegenda & cavenda sunt.
Amicè itaq; conspirent; & idem in *CHRISTO JESU* per omnia
ubique omnium temporum decursu sentiant Doctores, & si
quis erraverit, amicè monentem audiat: & portæ inferorum

1504.

non poterunt prevalere concordibus Ecclesie Doctoribus: utcumque numero pauciores fuerint, quam adversarii.

TERTIUM, quod in hanc scenam producendum arbitramur, est sedula *CURA* studiorum & Academiarum: Quae seminaria sunt Reipublicae & Ecclesiae. Loquitur enim experientia, tum demum floruisse & Rempublicam & Ecclesiam, cum floruerunt studia & scholae. Quemadmodum enim teste Cuspiniano, Matthias Corvinus, Rex Hungariae, negabat, Regem aut Ducem absolutae virtutis & gloriae famam adipisci posse, nisi literarum praesidio munitus omnis aetatis instituta militiae, ipsaque antiquorum strategemata ex historiis percalleret. Unde & apud eum inter canendum vel prandendum, vel liber legebatur, vel Doctorum sermones variis de rebus audiebantur. Ita, quomodo resistemus adversariis, nisi Principes & Doctores habuerimus literarum praesidio munitos, qui adversariorum & instituta & strategemata exacte norint, & ex divino verbo retundere & repellere sciant! Quorum Virorum quidem non semper aequam apud nos esse copiam aliam causam facile attulerit nemo, quam studiorum neglectum; & quod non omnes equaliter faciant, quae circa hanc ipsam rem facienda essent. Cum enim apud inimicos nostros immensi sint reditus, & infinitus ferè Collegiorum & Canoniorum numerus: ideo fit, ut plures etiam ibi reperiantur, qui pro erroribus ipsorum decertare possint, Ut nisi invicta, divina & Adamantina Verbi divini *VERITAS*, a partibus nostris esset, quam impossibile est vinci, dudum nos multitudine obruere potuissent. Quemadmodum enim de Antichristo Orientali, Imperatore Turcorum, scribit Epist. 4. Busbequius, Legatus Imperatoris Romani: Ille inimicus noster trahit secum, quicquid est gentium a finibus Persarum: multorum regnorum opibus instructum ducit exercitum; & ex tribus Orbis partibus nulla est, quae non suam partem

1505.
partem ad Christianorum exitium conferat: Ita etiam Romanus Pontifex trahit secum, quicquid est literatorum à finibus usque Hispaniæ: multorum opibus instructum ducit exercitum, & ex tribus primariis provinciis, Hispaniâ, Galliâ & Italiâ nulla est, quæ non suam partem ad Lutheranorum exitium conferre queat. Ac sanè: Ubi ille integra cœnobia, in nos educere valet: contingere potest per neglectum scholarum, ut sæpe vix unus & alter Defensor sit à nostris partibus: isque laboribus concatenatis aliis, plerunq; ita attritus, fractus & emaciatus; ut nisi à nostris Partibus militaret ipse Deus, & pusillo gregi vires daret & belligerandi animum, dudum actum fuisset de Verâ Religione. Si itaque in Studia & Academias sedulam impendendam esse dixerimus curam, nec ullis hîc esse parcendum censuerimus sumptibus, ut VIRI educerentur, qui fortiter bella Domini gerere possint, nulli aberraverimus. Sed id dixisse nos censemus, quod è re ac salute sit Reipublice Christianæ. Quàm vellem hîc addere plura! Sed desinendum est, ne Vestra, AUDITORES honoratissimi, abuti æstimer patientiâ. Exposito itaque pio, quo tangor desiderio, orationis telam hîc abrumpo; & cursum inceptum, rotamque currentem inhibeo. Conservet nos Deus in Pace, conservet religionem, conservet patriam; defendat veritatem, & tandem nos omnes in arce collocet æternitatis, ubi veram vitam habebimus & nunquam interturbandam requiem & serenitatem!

Tu autem, Domine Secretarie, minister noster, expedito nunc librum, & Studiosæ JUVENTUTI prælege LEGES; ut benè currentibus calcar sint; deviantibus autem ad veram viam virtutis lux & cynosura!

Post LEGUM recitationem.

Audivistis, Nobilissima, Eruditissima & adamatissima Studiosorum CORONA, Leges: Nec enim Musæ carent Legibus: aut libertati earum contrarium est, honestis LEGIBUS regi-

B. 3

Quin

1506.

Quin ipsæ præscribunt aliis Leges; & docent, quòd summa libertas sit honestis parere *LEGIBUS*. Hinc percontatus Solon, quo pacto salva esse posset *Respublica*? respondit apud *Stobæum* serm. 41. Si cives quidem Magistratui obediant, magistratùs autem Legibus. Et, Neminem liberum esse dicebat, teste eodem *Stobæo*, serm. 6. *Pythagoras*, nisi qui sibi imperaret. Eorum enim, uti ibidem censuit *Eusebius Philosophus*, qui fœdis voluptatibus dediti sunt, nullum tu liberum ducas. Hi enim multò severioribus Dominis, quam vilia mancipia serviunt. Ut itaque *Philippus Cominæus*, elegantissimus scriptor, comment. l. 10. p. mihi 690. scripsit: Quò quisq; magis, quid se deceat, intelligit, eò vehementiùs ipsum neglecti pudet officii: & etiamsi non omninò sibi temperet à maleficio: tamen, ne planè modum excedat, cavet. Ac istud quidem, inquit, usu compertum habeo. Multos enim novi, quos à pravis & illaudatis consiliis, eruditio sola retraxit. Sic etiam repetitio *LEGUM*, & paterna Præceptorum admonitio, multos à pravis & illaudatis consiliis retraxere. Et quo quisque magis, quid se deceat, ex Legibus intelligit, eò vehementiùs ipsum neglecti pudet officii: & etiamsi non omninò sibi temperet à maleficio; tamen ne planè modum excedat, cavet. Ut ideo graviter peccent, qui transgressores *LEGUM* penitus impunitos dimittunt, Injuriam enim faciunt, & sibi & transgressoribus. Sibi; quoniam negligunt divinum, quod ipsis concreditum est, officium! transgredientibus autem; quia si eos coercerent, & paternè dehortarentur, desinerent esse mali. Rectè enim facientem etiam inimici tandem diligunt: cum *DEUS JUSTITIÆ* Justos juvet; & defendat eos, qui exsequuntur *JUSTITIAM*. Anno Partùs salutiferi 370. ceu refert ex Codice Theodosiano, *Baronius* Tom. IV. p. 271. Imperator *Valentinianus*, de iis, qui Romam se conferrent liberales disciplinas addiscendi causâ: ad *Olybrium* præfecturam Urbanam gerentem ejusmodi misit Rescriptum: Qui-
cunque

cunque ad urbem discendi cupiditate veniunt, primitus ad
 Magistrum censûs provincialium Judicum, à quibus copia
 est danda veniendi, ejusmodi literas proferant, ut oppida ho-
 minum & natales, & merita expressa teneantur. Deinde, ut
 in primo statim profiteantur introitu, quibus potissimum
 studiis, operam navare proponant. Tertio, ut hospitia eorum
 sollicitè censualium nôrit officium, quò ei rei impertiant cu-
 ram, quam se asseruerint expetisse. Iidem immineant Cen-
 suales, ut singuli eorum tales se in conventibus præbeant,
 quales esse debent, qui turpem inhonestamque famam, &
 confociationes, quas proximas, putamus esse criminibus,
 æstimant fugiendas: ne vè spectacula frequentius adeant, aut
 appetant vulgò intempestiva convivium. Quin etiam tribui-
 mus potestatem, ut si quis de his non ita in Urbe se gesserit,
 quemadmodum liberalium rerum dignitas poscat: publicè
 verberibus affectus, statimq; navigio superpositus abjiciatur
 Urbe, domumq; redeat. Hæc cura fuit Valentiniani, pro A-
 cademiâ Romanâ, & pro liberalibus studiis: Hæc etiam se-
 veritas ejusdem fuit, in eos, qui non ita se gessissent, quem-
 admodum liberalium rerum dignitas posceret. Unde & au-
 gustissimus Pater, Augustinus, Lib. 3. Confess: cap. 8. Se ideo
 reliquisse Carthaginem, & perrexisse Romam, scribit, quòd
 audierit, *quietius ibi studere adolescentes, & ordinatiore discipli-
 nae coërcitione sedari.* Contrà apud Carthaginem dicit sædam
 fuisse & intemperantem licentiam scholasticorum. Nam,
 dicit de iis: *Multa injuriosa faciunt merâ hebetudine & punienda.*
LEGIBUS, nisi consuetudo patrona sit, hoc miseres eos ostendens,
quo jam, quasi liceat, faciunt, quod per Tuam eternam Legem (ò
DEUS) nunquam licebit, & impunè se facere arbitrantur, cum
ipsâ faciendi cæcitate puniantur, & incomparabiliter patiantur
pejora, quàm faciunt. Florent igitur Academiæ, florentibus
LEGIBUS: sed spretis hisce, contemptæ jacent, sicut Carthago;
 quam

quam mala consuetudo Patrona perdidit, hoc miseros eos ostendens, quo jam, quasi liceat, fecerunt, quod per æternam DEI Legem nunquam licebit; & ipsâ faciendi cœcitate puniti fuerunt. Quam faciendi cœcitate, quæ malos opprimit, pluribus exponeremus; si ratio habenda non esset temporis. Vos igitur loco DEI stans, paternè alloquor ô mei; Spes estis patriæ, gaudium parentum, seges Reipublicæ, splendor Academiæ, ornamentum posteritatis, propter Vos quoque instituta est hæc Panegyris: Obedite igitur honestis LEGIBUS; repudium mittite antiquo serpenti eiusque blanditiis, consuetudinem Patronam, & licentiam nunquam licitam, de quibus audivistis Augustinum conquerentem, abjicite, repellite, protritam abigite. Virtutem autem & RECTUM diligite. Ecce nos Duces Vestros; Sequimini: Viri estote! superate vitia! ascendite; Hic arx est æternitatis; quò DEUS vos vocat coronandos. Hæc est porta DOMINI, Iusti intrabunt eam! Quotidianus, quem audiatis, & continuus sonitus sit, auribus Vestris illatus: quem à DEO, Parentibus, & Nobis Vestris Præceptoribus & Amicis, audiatis infufurrari: CHARISSIMI FILII PII estote, & RECTI! Concludat autem Orationem Gregorius Nazianzenus, qui de Athenis dixit: Urbs ipsa, etsi aliquibus fortasse perniciosa fuit, mihi certè gemma omnique ex parte beata atque proficua semper existit; sedula Magistra morum existens ac literarum: ut planè intelligam, quòd minùs in utrisque profecerim facultatibus, mihi cedere culpæ, non Urbi. Sic intelligere debent, qui negligentes fuerint, aut detrectare voluerint obedire honestis legibus, quòd minus in utrisque profecerint facultatibus, tam morum, quàm literarum, ipsis cedere culpæ, non Urbi aut Academiæ. Ut autem per omnia Academiæ, Urbi & singulis, qui hîc vivunt, benè sit, animitus precamur! & id SSa TRINITAS quoque gratiosè concedere dignetur! Dixi!

FINIS.

Ms 2584

40

ULB Halle
004 969 014

3



VD 17

M. C.



1494.

IN A

Quod rectè scrip-
 ποτε νομιζω, ο
 γίγνεσθαι. H. e. Eg-
 tales republicas ex
STUDIOSA JUV
NE ACADEMIC
sub tali **RECTOR**
splendore, Prudenti
omnigena virtutis c.
PRINCIPIS BON
FICENTISSIMO
PEM, DN. FRID.
Fratrem germanum
Generosissimum
NIGSMARCK C
simum: Academia.
HEROICI NOS
SIMI; ut & Illustr
& Generosissimi C
ed sanctius conserva
SITUDINIS. Legatus
care volui, tanquam
BIL. EUS, celebrandus
es videlicet XXV. Se
inceps infecura.
Ducis BERNHAR
SENIOR, fortissimus
sunt alia ad seram
simum ac Celhssimi
lumnam constituat.
Quemadmodum aute
 p. 161. moriturus Cy-
 λειαν Διασωσον δε
 ασ Φαλαςτιον. H. e.
 multi sceptrum sum-
 Eximii ac humanissi-
 stro Clementissimo, a-
 ximo, sermone cong-
 nectuti condite obs-
 pace, ac Corporis &
 & virginis, M. DC. LV



A:

εζω τε'ε μλ' αεε
 και ταις πολιειαις
 ent gubernatores,
 ia ac Humanissima
 issimo **REGIMI-**
 ret. Vivimus enim
 lustrissima Domus
 literas, & summo
RNATORIS, &
 it de tali **MAGNI-**
 fimum **PRINCI-**
 , ac Montium, & c.
 e post Illustr'em &
HELMUM KÖ-
 . nostrum gratiosiss-
 jus **PRINCIPIS;**
GNIFICENTIS-
ERICI; ac Illustris
memoria apud Vos
 ma: **EIUSDEM CEL-**
 obisq; ut sacram, di-
 it, quod ipse dies Ju-
 s centum annos, Di-
 ob hanc causam de-
 demico Illustrissimi
 . **BERNHARDUS**
 onditus est. Et qua
 eus igitur Illustris-
 lementissimum, co-
 ldat bonis ominibus!
 l. 8. de Pædiâ Cyri,
 ηρον τὸ τὴν βασι-
 σιν ἀληθῆσαιον και
 m servet, sed amici
 a porro, Nobilissimi,
NCIPI, Domino Ve-
 Hocrates, teste Ma-
 (state): optimum se-
ONAM NOSTRAM; in
 mbriis, Anno partus
 Superintendens, h. e.
 R